

36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boortel

+



19.  
CUM DEO MEO!  
DISSERTATIO PRACTICA  
DE  
JUSTITIA,

Quam  
Eo, qui est JUSTITIA NOSTRA, Præstite,  
Consentiente Amplissimâ Philosophicâ Facultate,  
in incluta Electorali Viadrinâ,

SUB PRÆSIDIO  
VIRI Clarissimi, Eximii, atq; Præstantissimi  
DN. M. CHRISTIANI SCULTETI  
Francof. March,

Ad diem 5. Julii,  
In Acroaterio Philos. majori  
horis à 7. antemeridianis,  
Publicæ Eruditorum censuræ  
submitte

GUSTAVUS—BOGISLAUS PESHMANN/  
Stolpâ-Pomeranus, LL. Studiosus,  
A. & R.



ANNO restaurata Salutis humanæ  
M. DC. LI.


Typis NICOLAI KOCHII, Acad. Typogr.

CUM DEO MEIO!  
DISSERTATIO PRACTICA  
DE  
IUSTITIA

GRUN  
HERRN WOLFRAM FOLLER  
CONFERENCE & APTIA PHTOLOGIC FACHBEREICH  
IN ICHTUS THEOLOGIS VEDIAN

**DEO,**  
**PATRIÆ**  
**&**  
**Amicis.**

DR. MEDICINÆ  
GUSTAVUS BOGIGANUS  
ALPH-POMMERANS, J. studiosus



ANNO REFORMATIONIS SUAE 400  
M. DC. CC.  
Typis NICOLAI KOCHII, MDCCCXLV



JEHOVA JUVA!

**R**efectò & sentire optimè, & verisimè judicare mihi videntur illi, qui inter reliquas Virtutes omnes (cæterarum non sum contemptor) primas JUSTITIÆ tribuendas existimant, eandemq; cæterarum Virtutum Reginam & Imperatricem salutare non dubitant. Hæc enim Virtus in rei veritate omnium Virtutum Domina est, quæ Hespero & Lucifero clarius micat, teste Arist. lib. 5. Eth. 1. Hæc est conjunctionis humana conservatrix, secundum Keckerm. syst. Eth. lib. 1. cap. 4. Hæc primùm ad vitæ communionem impulit homines, Cic. lib. 2. Off. Illa hæc est virtus, de qua Cyprianus de 12. abusibus, ait, quod sit pax populorum, patria tutamen, immunitas plebis, munimentum gentis, cura langvorum, gaudium hominum, solatium pauperum & hereditas filiorum. Hæc est illa, quæ, ut inquit Plautus, inopiæ fert opem, & vindicat, ne impiorum, qui sceleribus nobilitatem quarunt, potior sit pollentia, quàm innocentum. Sublatâ hæc, non domus ulla, non civitas, non regnum, non hominum inter se societas, nec ipsa rerum Universitas stare & tueri se diem unum

A 2                      posses

posset Muret. vol. 1. Orat. 8. **JUSTITIA**  
siquidem emortuâ, injuria, injustitia, vis &  
fraudes liberrimè dominantur. Sub dominio  
autem horum malorum, omnia susq; deq; ferri,  
& pessundari necessum est, & florentissimas  
quasq; Resp: everti. Hinc Syracides 10. cap.  
v. 9. Regnum, inquit, à gente in gentem trans-  
fertur propter injustitiam, injurias, calumnias,  
& dolos. Hujus Virtutis nunquam satis lau-  
data cum sit tanta dignitas, tanta necessitas,  
tantaq; utilitas; opera pretium me facturum  
esse omninò putavi, si presentem hanc mate-  
riam nobilissimam in publica disputatione  
ventilandam sisterem, ejusq; naturam paucis  
thesibus, pro ingenii modulo, rimarer ac eru-  
erem. Et licet materia hæc ardua (est calculus  
omnium) & quàm plurimis difficultatibus  
referta sit; Tantùm tamen abest, ut propterea  
à proposito absterrear, ut potius ad illud urgen-  
dum magis magisq; instiger, amore solius **JU-  
STITIÆ**. Quò autem institutum meum  
feliciter cedat, in primo statim limine me ad  
eum, à quo, & cum quo omne principium, me-  
dium, & terminus fieri debet, Novell. 109. prin.  
converto, illumq; qui per essentiam **JUSTUS**  
est, calidissimis votis veneror, ut velit propter  
Filium suum unigenitum **JUSTITIAM NO-  
STRAM**

*STRAM, Jer. 23. 6. S. S. gratiâ mihi adesse,  
quò conatus meus suo non destituatur successu,  
sineq; optato. Fiat! Sit itaq;*

THESIS I.

**R**Em ipsam jam bono cum DEO aggressus, operæ moræq; pretium me facturum arbitror in eruendis vocabuli JUSTITIÆ obscuritatibus. Quare considerationem illarum præmittam, & primo loco vocis originem scrutabor. Dilucidè inter omnes constare puto, varios variè in indaganda JUSTITIÆ originatione defudare. Sunt enim nonnulli, qui demonstratum surgunt, JUSTITIAM esse deductam à JOVE, juris & justitiæ omnis auctore, & quasi Patre. Quo nomine Hesiodus JUSTITIAM, tanquam Virginem & Jovis filiam in originibus Deorum ponit, quam Patri assidere, & si violetur, pœnas injuriæ vindices efflagitare, ludicris ausis fingit. Fuère item, qui JUSTITIAM dictam putarunt à VI, per literarum transpositionem, ut sit quasi VISTITIA, quòd Vim sistat; Quas literarum inversiones apud Latinos in multo usu fuisse, testatum dat Festus Pompejus, & Connanus *lib. 1. cap. 2. n. 4.* Isidorus JUSTITIAM dicit, eò quòd in ea jus stet, quasi JURIS STATUM. Aldobrandinus *ad Inst. tit. de J. & J.* Justitiam, ut læticiam, tristitiam, amicitiam deductam vult à Genitivo sui Adjectivi, JUSTUS, JUSTI additis his literis (TIA), quemadmodum & in avaritia & mœstitia &c. factum videmus. Dissensere insuper inter se JCTI & Philosophi, & adhuc inter eos his est de vocolæ hujus origine. Nam secundum Jctorum mentem JUSTITIA nomen est primitivum, à quo propagatur JUS, tanquam filia à matre, *per text. l. 1. & gl. sup. verb. Justitia ff. de J. & J.* Diversum verò placet Philosophis. Illi enim contrario modo JUSTITIAM à Jure derivari affirmant.

II.

Variis quoq; significationibus & acceptionibus vocola

A 3

JU.

JUSTITIÆ subjacet. Ideoq; nisi maturè has omnes declinem, periculum subest, ne in errores incidam satis crassos. Hujus rei enim inscitia maximis erroribus occasionem præbet, cum in *Theologia*, tum in *Juris doctrina*, & *Philosophia*. Adfuere siquidem multi omnibus temporibus, qui dicta Prophetarum, & Apostolorum de JUSTITIA loquentia, quæ est propria Evangelii, flagitiosè torserunt ad JUSTITIAM LEGALEM, atq; ita extra artis suæ metas ruentes, horribili confusione miscuerunt in unum quasi chaos articulum justificationis, quem soli DEI Filio acceptum ferre debemus, & JUSTITIAM POLITICAM, seu disciplinam externam. Sciendum est itaq; vocem Justitiæ aliter in Theologia, aliter in Jure, aliter in Philosophia esse accipiendam. Theologi enim ut plurimum intelligunt JUSTITIAM IMPUTATIVAM, pro gratuita acceptione Personæ corâ DEO, cum qua conjuncta est remissio peccatorum gratuita propter Filium DEI mediatorem, & donatio S. S. quæ fide est apprehendenda. At Jcti, & Philosophi tantum de externa & legali JUSTITIA concionantur. Et hac, (de qua jam egi) Justitiâ Theologicâ remotâ, removeo quoq; Justitiæ significationem Synonymicam, quâ pro officio defunctis præstito sæpiùsculè adhibetur. Hinc JUSTI dicuntur, qui defunctis justa persolvunt. Hinc dicitur quoq; *funus justum* & *justæ nuptiæ*. Notari hic poterit, justum & Injustum duo significare. Interdum id, quod rationi & æquitati innixum est. Hac ratione justam & injustam vocamus petitionem & causam. Interdum id, quod secundum Legis solennem ritum ordinatum est, veluti justæ nuptiæ, i. e. legitimæ, quæ secundum jura Civitatis Rom. inter puberes contrahuntur. *Inst. de Nupt. in princ. l. 18. ff. de rit. nupt.* Eodem quoq; sensu dicitur justum matrimonium *l. 13. ff. de his quæ ut indign. auf.* Removeo etiam tertio loco Justitiæ acceptionem impropiam, quâ per analogiam quandam bestiis, itemq; prædonibus æqualiter prædam dividentibus tribuitur. Hinc Delphinos justos vocat Ælianus



lib. 2. de Animal. c. 3. eò quòd venationis piscium partes inter se ita partiantur, ut majorem prædæ partem ei relinquunt, qui capturæ fuit causa principalis. His & aliis acceptionibus semotis, hic per Justitiam intelligo, & considero Justitiam Ethicam, quæ in communi hominum inter se societate conspicitur, quâ homines prompti redduntur ad justas actiones, ex intentione & voluntate mentis perficiendas. De qua, quicquid in thesibus seqq. dicitur, intelligendum veniet.

### III.

Ad Synonymiam quod attinet, dicitur JUSTITIA Æquitas, Æqualitas, Æqvabilitas, Justum, Æqvum, Bonum, LL. consentaneum. Græcis Δίκαιοσύνη vel Δίκαιον. Campanellæ Virtus vocatur communis. Huc pertinent Justitiæ encomia, seu aptæ periphrales, quarum quamplurimæ hinc inde ex Authoribus hauriri poterunt.

### IV.

Sequesteratis his verborum involucribus, rem ipsam tentabo, & quid Justitia sit, inquisitum ibo. Definitur JUSTITIA ab Arist. lib. 5. Eth. c. 1. quod sit habitus, quo homines idonei sunt, ad agendum ea, quæ justa sunt, eademq; agunt & volunt. Tullius lib. de Invention. 2. ait: Justitiam esse habitum animi communi utilitate conservatum suam cuiq; tribuentem dignitatem. Ab eodem in alio quodam loco dicitur Æquitas, unicuiq; suum tribuens. Cum quibus congruit definitio illa ab Ulpiano tradita, in Inst. princ. ubi Justitiam definit constantem & perpetuam voluntatem, jus suum unicuiq; tribuentem. Generis officio in Definitionibus his fungitur habitus, seu, quod idem, constans & perpetua voluntas. Et quidem rectè. Justus enim non ab una actione æstimatur, sed ab habitu, vel, (quod idem) à voluntate constanti & perpetua justa faciendi. Hinc & Justus dicitur ille, qui habet constantem voluntatem justa agendi, etiamsi interdum non faciat, aut operetur Justum. Verba posteriora, ut (Justa agere, vel suum cuiq; tribuere) stant loco differentia quâ

qva Justitia à cæteris Virtutibus, aliisq; animi qualitatibus distingvitur.

V.

Justitia dividitur in Philosophorum schola in Universalem & Particularem.

VI.

Justitiæ Universalis triplicem habemus Definitionem, Aristotelicam scil. Platoniam, & Philippicam è sacris literis petitam. Et Definitiones hæ cum legibus congruunt. Leges namq; triplices esse notum est, ut Positivas, Naturales, & Divinas. Constat etiam hominis respectum seu ordinem esse triplicem. Primus enim respicit ad alios: secundus ad seipsum: tertius ad DEUM. *Cic. lib. 1. Offic.*

VII.

*Ab Arist. lib. 5. Eth. cap. 1.* definitur Justitia Universalis, quod sit obedientia erga leges honestas, quæ & publicam & privatam utilitatem spectant. Definit quoq; eandem ibidem Arist. quod sit Virtus perfecta ad alios relata. Virtus perfecta dicitur, quia est tota Virtus seu omnium Virtutum complexio, juxta Theognidis versiculum, quem citat *Arist. lib. 5. Eth. cap. 1.* Justitia in sese Virtutes continet omnes. Ad alios relata hæc Virtus dicitur, quia non tam sibi, quam aliis consulit, seu ut *Cic. inquit lib. 2. de Republ.* foràs spectat, & totam se ad alias utilitates porrigit & explicat. Et hanc ob causam Virtus hæc optima & difficillima, imò reliquarum omnium Regina vocatur à *Cic. lib. 3. Off.*

VIII.

Platoni Justitia universalis est Consensio omnium animæ facultatum, in qua ratio præest, sed appetitus obtemperat. Facit enim tres animæ partes seu facultates, 1. Rationem in cerebro, 2. Irarum ardorem in pectore, & 3. Concupiscentiam in epate. Et harum partium consensionem parere innuit Justitiam interiorem, à qua proveniunt actiones exteriores, quibus debitum aliis exsolvitur.

IX.

## IX.

Cognitâ jam Aristotelis & Platonis definitione, videamus etiam Philippum Melancht. qui Justitiam Universalem dicit Obedientiam omnium virtutum in homine necessario præstandam DEO Conditori, juxta LL. propterea ab ipso humanæ naturæ insitas, ut congruat nostra obedientia cum mente & voluntate DEI, & non congruens destruat; & ut in hoc judicio agnoscat, qualis ille sit, & à malis discernatur. *Deuteronom, 6. Matth. 22.* Lex autem divina non tantum exteriorem, sed & interiorem; neque solum inchoatam, sed perfectam requirit obedientiam. *Deuteronom. 6.*

## X.

Aliàs communiter Justitia Universalis definitur, quod sit Virtus, per quam obedientiam præstamus omnibus in genere Virtutibus & Legibus, eum in finem, ut utilitas publica promoveatur, & societas Politica inter homines conservetur. Hæc definitio arridet mihi maximè. Sumitur autem hic Justitia Universalis pro congerie omnium Virtutum & Legum. Hinc qui temperanter, qui fortiter, qui liberaliter, qui modestè vitam suam instituit, dicitur justus secundum Justitiam Universalem. Sic qui omnibus constitutionibus, LL. SCtis, mandatis, &c. obedientiam præstat, nomen Justii meretur.

## XI.

Justitia hæc accipitur communiter de omni eo, quod LL. & Juri congruum est. Hinc & Universalis Justitia vocatur. Hinc appellatur perfecta & tota Virtus, cum circa Universale omnium LL. & Virtutum objectum sit occupata. Docet enim obedientiam præstare Legibus. Leges autem omnia, quæ ad commune bonum pertinent, præcipiunt.

## XII.

Differt hæc nostra Virtus à reliquis Virtutibus non realiter, sed formaliter. Virtutes enim cadunt sub considerationem, quâ considerantur vel absolutè, ut habitus in

se, animum perficientes: vel comparatè, quatenus erga alios exercentur, adeoque homines ad bonum commune rectè disponunt. Hoc modo Virtutes titulo Justitiæ insigniuntur. Omnis siquidem Justitia Virtuti superaddit respectum ad alios; quippe semper inter duos versatur.

XIII.

Objectum Universalis Justitiæ rectè pono, omne justum ac honestum, quod ad normam LL. exigitur & conformatur, h. e. omnes vitæ actiones, quæ Legibus consentaneæ esse possunt.

XIV.

Causas Justitiæ Universalis pro ratione instituti levitantum digito jam attingere placet. Constituo autem Virtutis nostræ efficientem causam duplicem, principalem, scilicet, & minus principalem. Principalem, post DEUM, dico, mentem rectè judicantem, & voluntatem recto mentis Judicio obtemperantem. Minus principalem facio 1. naturalem inclinationem, 2. doctrinam, 3. assuefactionem. Hinc Alphonsus Arragonum Rex, interrogatus, quâ ratione Justitiæ laudes assecutus esset? Multum quidem, respondit, valet Natura; sed ego diligens naturæ excitator fui. De causamateriali cum actum jam sit in thesi precedenti ulteriora verba facere non attinet. Formalis Justitiæ Universalis causa est ipsa Virtus. Causa finalis constituitur triplex. 1. Ut DEUS honore afficiatur, eiq; debita præstetur obedientia in genere humano. 2. Ut sit commenfatio de DEO, qui in nos Justitiæ suæ radios transfundit, & 3. ut sit nutricula multarum & variarum artium & Virtutum.

XV.

Fuerunt Cause, sequuntur jam Effectus, quorum tres constituo, & quidem 1. Conservationem pacis. Nam uti torva facies & furialia ferra Bellonæ liberè dominantur, ubi pro placito peccatur, & atrocia scelera impune grassantur: Ita è contrario Pax residet, & adest mœnibus & portis securitas, domibus tranquillitas, & sub vite & ficu propria

pria quieta mansio, ubi cum virtute vivitur, & Leges bonæ vigent & florent. 2. *Premia* quæ passim promittuntur Justitiam exercentibus, de quibus inter alia suavissimè concionantur hæc dicta sequentia. Justitiæ opus erit pax, & cultus Justitiæ silentium & tranquillitas usq; in sempiternum. *Esai 32.* Si seqvaris Justitiam, apprehendes illam, & indues quasi splendorem honoris, & habitabis cum illa, & proteget te in sempiternum, *Eccles. 27.* Justus ut palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur, *Pf. 92.* Hinc & Regius Propheta David *Pf. 17.* Retribuet, inquit, mihi DEUS secundum Justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi Dominus. 3. *Penas* præsentis & futuræ vitæ, quæ haud dubiè sequentur Justitiæ violatores. Non permanebunt injusti ante oculos Domini *Pf. 5.* Injusti in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ. *2. Pet. 2.*

#### XVI.

Virtuti huic nostræ tria potissimum adjacent, & quidem 1. *Amor DEI.* Nam ut cettum est DEUM injustos odio habere: Ita Justos Dominum amare certissimum est. 2. *Gloria & prædicatio Virtutis,* cujus pulchritudinem perpetuò admirantur homines. 3. *Invidia improborum:* ut enim umbra corpus: ita regulariter ingenuam Virtutem comitari assolet invidia.

#### XVII.

Justitiæ *Universali* opponitur *Injustitia Universalis,* quæ est transgressio quarumcunq; legum ad humanam societatem turbendam instituta, seu ut Arist. eam describit, est Legum Divinarum, Naturalium, & Politicarum violatio. Pugnant enim cum *Universali* Justitia, omnium ac singularum Virtutum extrema, tam in excessu, quàm in defectu, quatenus ad bonum publicum minuendum, aut quocunq; modo labefactandum referuntur. Et hoc sensu non est pars malitiæ aut vitii, sed ipsissima malitia, & nil nisi vitium ipsissimum. Ut enim *Universalis* Justitia est Virtus universalis; ita *Injustitia* communis omne vitium complectitur.

Hinc optimo jure Herodotus injustos vocat Anthropophagos, Scythiæ populos, qui vitam vivebant vitiosam & flagitiosam, qui neque LL. neque judiciis ullis utebantur. Atque hæc de Universali Justitia dixisse sufficiant; jam in considerationem Particularis Justitiæ devehor.

XIX.

Particularem Justitiam definio, quod sit Virtus mediocritatem servans in distributione & commutatione rerum externarum, quo scilicet res æqualiter distribuuntur & commutentur.

XIX.

Munia Virtutis hujus sunt, suum cuique in certo objecto assignare, & omnia illa facere, quæ nullius famæ, corpori, vel bonis, vi aut fraude noceant.

XX.

Justitiæ particularis *Genus* in Definitione dixi, Virtutem, quia ratio generis formalis, quæ constituitur eidem competit. Virtus enim de plurimis specie differentibus prædicari potest in *Quid*, uti ex ejusdem genealogia patet. *Differentia* in Definitione Particularis Justitiæ est duplex. 1. *Generica*, quæ communis est omnibus Virtutibus, & exprimitur per terminum *Mediocritatis*. 2. *Specificæ*, quæ desumitur 1. *ab Objecto*, quod proximum & adæquatam rectissime dicitur largiri specificam essentiam Virtuti. 2. *ab Officio*, quod innuitur in definitione per verba hæc: in distributione & commutatione rerum externarum. Hæc siquidem Virtus tantum in eo occupatur, ut doceat æqualitatem in distributione & commutatione observare.

XXI.

*Objectum* circa quod Virtus hæc versatur sunt res externæ tam distribuendæ, quàm commutandæ, subintellige, quæ sunt capaces & receptivæ æqualitatis & inæqualitatis, partim Geometricæ, partim Arithmeticæ. In rebus enim internis & bonis animi minus rectè occupata diceretur Virtus hæc, cum in iis vel accipiendis, vel distribuendis, mediocritatis orbitam excedere nequeamus, *juxta Arist. 5. Eth.*

*Eth. cap. 1.* Insuper Objectum Virtutis hujus explicare videtur *Wesenb. in Parat. tit. 1. §. ut autem l. A.* ubi docet, JUSTITIÆ esse, quid quaq; in re justam, injustum, æquale & inæquale sit, ratione & studio exquirere, idemq; exquisitum & cognitum scienter reddere, & in usum fori publicum educere, ac omnibus rerum humanarum actionibus tam publicis quàm privatis rectè & æquabiliter accommodare.

XXII.

Justitiæ Particulari, cùm in excessu, tùm in defectu opponitur *Injustitia Particularis*. Utriusq; extremi nomen quidem unum & idem est, res autem duplex. Constat enim quandocunq; Injustitia exercetur, dum uni plus æquo datur; alteri minùs æquo distribui. Atq; ita & in excessu, & in defectu, peccatur.

XXIII.

Est autem Injustitia Particularis Vitium, in rerum externarum distributione & commutatione mediocritatem violans. Alias *Aristoteli lib. 5. Eth. cap. 1.* dicitur Inæqualitas.

XXIV.

Differt ab Injustitia Universali in eo, quod hæc promiscuè omnium Legum & Virtutum fit Violatio, cùm illa in sola rerum externarum distributione & commutatione appareat.

XXV.

Cùm hic jam satis pro ratione propositi egerim de Justitia Universali & Particulari, placet collationem instituere inter has, Universalem scil. & Particularem Justitiam. Innuo itaq; I. Convenire inter se easdem & nomine & re. Utraq; enim dicitur Justitia. Utraq; etiam ad alios refertur.

XXVI.

II. Universalem & Particularem Justitiam inter se differre dico, I. ut pars & totum. 2. Materia & Objectis: Particularis enim Justitia versatur tantum circa bona vel

mala externa, in quibus manifestè plus vel minus damni aut lucri habere licet, ut sunt honores, officia, dignitates, opes, &c. Cum *Universalis*, in omnibus & singulis illis, in quibus Vir bonus occupatur, occupata sit. 3. *Formâ*. *Universalis* siquidem omnes Leges & Virtutes, *Particularis* æqualitatem potissimum spectat. 4. *Fine*, quippe *Universalis* ad Legum normam omnia conformat, *Particularis* tantum ad æqualitatem.

XXVII.

Hic non incongruè quæri posset: *Ultra* *Justitia* præstantior, *Universalis* ne an *particularis*? Me *Judice* *Particulari* præstat *Universalis*: propter has 4. potissimum rationes. Nam (1.) est *Virtus* perfecta. Omnes enim *Virtutes* *morales* in se continet, earumque verum usum ostendit. Siquidem docet non tantum, quo pacto privatim erga nos ipsos & nostros sint exercendæ; sed & quomodo illis utendum sit publicè in administrandis publicis judiciis. (2.) Est pulcherrima; Hinc *Hespero* & *Lucifero* splendidior dicitur, ut ex proœmio liquet. (3.) Est commune bonum, quod se diffundit erga quamplurimos. Hinc dicitur *in thesi* 7. foras spectare, & se totam ad alienas utilitates explicare. (4.) Hæc sola *Virtus* efficit *Virum* perfectè bonum, atque adeo optimum, qui omnibus *Virtutibus* est præditus.

XXVIII.

Dividitur *Justitia* *Particularis* in *Distributivam*, & *Commutativam*.

XXIX.

*Distributiva* *Justitia* est, quæ in distributione rerum externarum, pro ratione dignitatis personarum, & æquitatis rerum singulis, quod suum est, tribuit.

XXX.

In *Justitia* *Distributiva* observanda veniunt 3. (1.) quidem Personarum ac rerum distribuendarum comparatio. (2.) Objectum ipsum. (3.) Proportio.

XXXI.

Comparatio Personarum & rerum distribuendarum instituitur vel Separatim, vel Conjunctim.

Sepa-



## XXXII.

*Separatim* fit, cum singuli termini inter se comparantur. Personæ scil. quando conferuntur cum Personis, ut Consul cum Prætor. Res cum rebus; ut Consulatus cum Prætura: Personæ cum rebus; ut Consul cum Consulatu, Item Res cum Personis; ut Consulatus cum Prætor. Hic igitur rectè munere suo fungetur Justitia, si Personis dignis digna attribuat munia, & prout singuli merentur, compenset.

## XXXIII.

*Conjunctim* dico fieri comparationem, cum totum cum toto comparatur. Quando scil. & Persona & Res cum alia Personâ & Re confertur. Sic in spoliis distributione Personam Ducis, cum militis gregarii persona comparando, pro ratione spoliis, plus Duci, quàm militi, plus militum huic, quàm illi tribuet Justitia, prout quisque meritis & præclare gestis excelluerit.

## XXXIV.

*Objectum* Justitiæ Distributiæ exhibent res distribuendæ, tam *bonæ*, ut sunt præmia, honores, dignitates, pecunia publica, agri ab hostibus capti, & his similia. Quàm *malæ*, ut labores, Contributiones, & in univèrsum omnia ea, quæ viribus conjunctis societas quædam subire debet, pœnæ &c.

## XXXV.

Respectu Objecti hujus commodè dividitur in *Remuneratoriam*, & *Punitoriam*.

## XXXVI.

*Remuneratoria* Justitia est, quæ honores & præmia dignis & benè merentibus confert. Hæc pro Objecto assumit præmia & honores.

## XXXVII.

Reqviritur autem ad legitimam præmiorum distributionem, (1.) Ut antecedit Virtutis actio, seu meritum. Nam qui vitia remunerat, tantum abest, ut nomen Justitiae mereatur, ut potius sit maximè Injustus dicendus. (2.) Ut præmium

mium correspondeat merito. Itaq; quo excellentius meritum, eo præstantius esse debet præmium,

XXXVIII.

*Punitoria* Justitia est, quæ poenas irrogat, non rectè facientibus. In hac Justitia Objecti partes sustinent poenæ & supplicia.

XXXIX.

Quo autem & Poenarum distributio sit legitima & juri conveniens necesse est, ut (1.) factum ipsum (de quo ante omnia constare oportet) sit inhonestum & turpe. (2.) ut poena per omnia delicto respondeat, nec sit poena gravior delicto. (3.) Ut delinquens propter unum delictum simplici tantum poena afficiatur. Quia pluribus poenis neminem propter unum delictum puniendum dicunt LL. j. Ctorum. Nisi pergat esse contumax, atq; ita denuo delinquat.

XL.

Perlustrato jam *Objecto ad Proportionem*, quam Justitia Distributiva observat, spectandam transeo. Innocens ex thesi 29, Justitiam hanc nostram omnia sua ita dispertiri hominibus, ut non omnibus paria, sed æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia præbeantur. Et quidem justè. Si quidem in distributione justa spectari oportet dignitatem Personarum, inter quas aliquid est distribuendum, & precium rerum, quæ distribui debent. Nisi enim hoc fiat, facile oriuntur querelæ & lites. Vocatur Proportio hæc *Æqualitas seu Convenientia Geometrica*, quæ singulis convenientem honorem, & munus idoneum tribuit, ac benè maleq; de Republ. meritos, pro meritis remunerat. *l. fin. C. de statutis & imaginib.*

XLI.

Justitiæ Distributiæ *Effectus est* inter alia (quæ hic longâ serie recensere non fert institutum) *Boni publici incrementum*. Tum enim ait Plato, beatæ sunt Ecclesiæ & Resp; cum ad hanc Justitiæ analogiam constituuntur. Verum enim verò nisi per hanc Justitiam Distributivam bonis præmia, malis autem poenæ irrogentur, conservari Resp. non poterit, sed necessum est, ut brevi collabescat & pessum

peffum eat. Quippe præmia & pœnæ duo quasi ponuntur  
Reipubl. fulcra, secundum Cic. Epist. XV. ad Brutum.

XLII.

Ad Virtutem hanc nostram proximè accedunt quasi  
cognatæ Virtutes, Reverentia, tribuens aliis locum suum,  
& æstimationem suam. Modestia, quæ sibi non plus tri-  
buit, quàm est opus, nec extra vocationem ruit, sed pro-  
pria agit, aliis suum cursum atq; locum sine impedimento  
relinquendo. Item Lex talionis naturalis, de qua videat-  
ur Wesenb. in parat. §. hoc edictum, lit. E. tit. Quod quisq; jur.

XLIII.

Virtuti huic contrariatur, Tyrannis, Πολυπραγμοσύνη,  
Invidia, Injuria, & quævis proportio Arithmethica, quæ  
Personis adhibetur. Ut cum in Conviviis illiberaliori-  
bus, ad æquales haustus imbecilles pariter ac robusti ur-  
gentur.

XLIV.

E diametro autem Justitiæ Distributiæ opponitur  
Distributiva Injustitia, quæ nullâ habitâ ratione dignitatis  
Personarum, rerum, aut circumstantiarum distribuenda di-  
stribuit. Ethæc de Justitia Distributiva.

XLV.

Commutativa Justitia est, quæ in Contractibus rerum,  
nullo habitu respectu Personarum, eam servat æquitatem,  
ut suum genus conservetur, & nulla pars defraudetur.  
Hanc vocat Arist. lib. 5. Eth. cap. 2. Commutativam, & Corre-  
ctivam, quòd rerum commutationem ita corrigat, ut nulla  
pars injuriam sibi fieri jure asserat, vel ut cap. 4. ejusdem li-  
bri tradit Arist. à Judicis officio, ad quem decurritur, cum  
injusta permutatio est facta, qui sepositâ Personarum digni-  
tate, ita res inter se comparat, ut inæqualitas omnis corri-  
gatur.

XLVI.

In definitione hac Justitiæ Commutativæ attendi de-  
bet Objectum, & Proportio.

XLVII.

Objectum Justitiæ hujus, sunt omnes res permu-  
tandæ

C

tandæ, seu ipsæ rerum Permutationes, & Contractus. Qui  
quales, & quotuplices sint, in schola Iurorum docetur.  
Philosophus omnia quæ huc pertinent, Commutationes,  
Permutationes, Contractus, & Commerciorum vocat.

XLVIII.

Accipio hic vocabulum Contractus, non propriè pro  
mutuo consensu duorum aut plurium de re aliqua legiti-  
mè transferenda, vel quoad usum, vel quoad dominium,  
vel quoad obligationem. *l. Contractus ff. de A & O: sed latè.*  
Et quidem pro omnibus obligationibus, tam quæ ex deli-  
ctis, quam ex quasi delictis nasci dicuntur, & si quid iis est  
simile.

XLIX.

Dividuntur ab Aristotele *lib. 5. Eth. cap. 2.* Contra-  
ctus, in *Voluntarios, & Invitos.*

L.

*Voluntarios* dicit fieri inter scientes, & consentientes,  
ut sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Deposi-  
tum, Commodatum, Mutuum, & Pignus.

LI.

*Contractus Invitos* vocat illos, qui nobis vel nolenti-  
bus, vel ignorantibus obveniunt. Hos rursus dispescit in  
*Clandestinos*, quales sunt Furtum, Adulterium, Veneficium,  
Lenocinium, Cædes dolo facta, falsum Testimonium, &c.  
& *Violentos*, ut Verbera, Vincula, Rapina, Injuria, Con-  
vitiium, & Contumelia, &c.

LII.

*Proportio* in Justitia Commutativa observatur *Arith-  
metica*, quæ res rebus æquali pondere, numero & mensu-  
râ in commerciis, & permutationibus adæquat, & compo-  
nit. *Wesenb. in parat. §. forma autem, tit. de J. & J. lit. D.*  
Hujus proportionis Arithmeticæ in Comutationibus est  
utilitas & necessitas tanta, ut citra hanc nec justus nec di-  
uturnus possit esse Contractus.

LIII.

Analogia hæc Arithmetica ut in Commutationibus  
inveniatur, tenendus est *Modus, & Medium.*

*Modus*

## LIV.

*Modus* consistit in rerum inter se collatione, ut quantum una alteram vel dignitate, vel pretio superat, aut ab altera superatur, tantum in excessu, vel in Defectu compensetur. In hac Justitia excelluit Q. Mutius Scævola, (ut in ejus vita narrat Rutilius) qui cum postulasset ut sibi fundus, cujus ille emptor erat, indicaretur, viso fundo, inquit, se pluris eundem aestimare; & venditori, pretio, quo convenierant, centum millia addidit.

## LV

*Media* sunt, quibus rerum pretia aestimantur, & pendent vel à natura, vel ab instituto.

## LVI,

*Naturâ* sunt pluris aestimanda, quorum major est usus. Sic hæc fuit prima mercaturæ instituendæ occasio. Homines enim cum in diversis locis viverent, & non omnis tellus singula ad vitæ sustentationem necessaria ferret, commercia sunt instituta, naturâ Duce. Nam ut Poëta canit i. Georg.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ;

Arborei foetus alibi, atq; injussa virescunt

Gramina: Nonne vides croceos ut Tmolus odores,

India mittit Ebur, molles sua thura Sabæi:

Ut igitur, quod in regione una, copia majori proveniret, aliis indigentibus impertiretur, effecit Natura, ut iidem aliis rebus, apud exteros largiori proventu nascentibus opus haberent, atq; ita rerum mutatione factâ, sibi mutuò succurrerent. Et talis erat ab initio rerum permutatio, antequam nummorum usus inveniretur.

## LVII.

*Ab instituto* res pro earum mensura nummo aestimantur. De nummorum inventione varii varia referunt. Lydis quidam hoc inventum adscribunt, teste Alexand. lib. 4. c. 15. licet Æginæ argentum primò signatum nonnulli credant. De nummorum necessitate & usu vario videat, qui volet, Aristotelem lib. 5. Eth. cap. 5.

## LVIII.

Differt Justitia Commutativa, & Distributiva quatuor

potissimum modis, & quidem (1.) *Actionibus*. Hæc enim distribuit bona vel mala exteriora, ut patet ex *th. 34*. Illa verò juste permutat, & inæqualitatem rerum permutandarum corrigit. (2.) *Objectis*, Nam Justitia Distributiva circa ea versatur, quæ communiter inter plures sunt distribuenda, cum Commutativa circa rerum privatarum permutationem sit occupata. (3.) *Personis*. Hæc siquidem propriè ad eos pertinet, qui publicam personam sustinent. Illa ad homines privatos, qui inter se contrahunt, spectat. Hinc illa *Politica*, hæc *Oeconomica* esse videtur. (4.) *Analogia seu proportione*. Distributiva enim respectu Personarum servat proportionem Geometricam. Commutativa autem respectu pretii rerum permutandarum analogiam Arithmeticam attendit.

LIX.

Justitiæ Commutativæ *Effecta* Excell. Dn. Heiderus in *sua Philosophia morali* ponit: Quæstum sine Injuria: Pacem sine discordia: Possessionem proprii Juris sine invidia. Welsenb. in *parat. §. finis & effectus, lit. E. tit. de J. & J.* effectum & finem Virtutis hujus facit triplicem, (1) *Utilitatem societatis humane*. Quia, inquit, æqualitas hæc pacem alit, & urbes urbibus, amicos amicis consociat. (2.) *Communem necessitatem*. Nam ut hominibus vitæ necessaria suppedirentur, mutuâ commutatione opus est. Ea autem commutatio justa & diuturna absq; hæc æqualitate esse non potest. (3.) *Ut exerceantur officia dilectionis erga proximum, item ut vitentur pœna, &c.*

LX.

*Affines* Justitia Commutativa habet, Liberalitatem, Dilectionem proximi, Veritatem, & Jus talionis, de quo paucis agendi hic erit locus.

LXI.

*Jus Talionis* est, quo, quod alteri facimus, vicissim patimur. Hinc Jus hoc Pythagorei vocarunt *Repasionem*, aut *reciprocam passionem*. In Lege Mosaica hoc valuisse *Exod. 25. Levit. 24. Deut. 19.* apertè probatur, ubi sancitur, ut dens pro dente, pro oculo oculus reddi debeat. DEUM quoq;

quoque ipsum Legem hanc observasse in pœnis, ex sacris, & profanis historicorum monumentis unicuique est manifestum. Sic David, qui adulterio peccarat, adulterio puni- tur, cum Filius Absolon medio die uxores ejus contami- nat. Sic Adonibefecus amputatis pollicibus manuum & pedum occisus est, quo genere mortis antea 70. Reges affe- cerat. Plura exempla videantur apud Euripidem & Æschy- lum in Agamemnone. At strictam hanc Talionis Legem, nec cum Distributiva, nec cum Commutativa Justitia con- gruere probat Arist. Eth. lib. 5. cap. 5. Cum Distribu- tiva Justitia non congruit, quia in ea personarum respectus est habendus, ut constat ex tb. 19. & 40, neque enim æquum esset, licet 12. Tab. hoc præcipiant, ut referunt Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. 10. & Gell. lib. 20. cap. 1. Si quis membrum rupit, in eum Talio est. Quippe si Sutor Principem percu- tiat, certè non sufficit, ut simpliciter repercutiatur, sed pro- pter Personæ tantæ dignitatem gravior pœna ei erit irrogan- da. In Commutativa quoque Justitia Lex hæc Talionis præ- cisè observari non potest, quamvis non ita procul ab ea dif- ferat. Licet enim æqualis in ea fiat rerum commutatio; Tamen non ejusdem generis res, cum ejusdem generis re- bus commutantur, sed diversæ cum diversis, teste quoti- dianâ experientiâ.

LXII.

Oppositis Justitiæ Commutativæ colophonem inpo- nam, ad quorum classem pertinent Rapinæ, Injuriam, Fur- ta, Fraudes, Contractus injusti, Monopolia l. unic. C. de Monop. Merces & stipendia injusta, Ignavia, Mendicitas non necessaria, & omnia lucra fraudulenta, & aucupia quæstus.

LXIII.

E diametro autem Justitiæ Commutativæ opponitur Injustitia Commutativa, quæ in rerum commutatione æ- quitatem ita violat, ut huic lucrum, alteri damnum obve- niat. Cum Jure Naturæ æquum sit, neminem cum alte- rius detrimento, & injuria fieri locupletiozem, ut docet

*l. 206 ff. de R. J.* Aurea hæc est lex, & præclara ex jure naturali, & divino petita. Quid enim sanctissimum illud Evangelii præceptum sibi vult? *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Concordat cum lege hac etiam illa, quæ traditur in *l. jure succursum, 6. §. fin. ff. de Jur. dot.* ubi refert Pomponius, bono & æquo non convenire, ut lucretur aliquis cum damno alterius, aut damnum sentiat per alterius lucrum. Cum qua & illud Ulpiani, quando in *l. cum hi quibus, §. si quid de alimentis, ff. de transact.* ait, non debere quem ex alieno damno fieri locupletiores, usquequaque congruit. Pulchrè item hac de re *Cic. in lib. 3. Offic.* ubi inter alia ita inquit. Alteri aliquid detrahere, & suum augere commodum cum alterius incommodo, magis est contra naturam, quàm ipsa mors, dolor & paupertas. Tollit enim convictum humanum, & societatem communem. Nam si ita sumus affecti, ut propter suum quisque emolumentum violet, aut spoliet alterum, dirumpi necesse est eam, quæ maximè est secundum naturam, humani generis societatem. Exempla hujus Injustitiæ vide apud Gellium *lib. 5. cap. 10.* Ælianum *lib. 3. var. histor.* Plutarchum in *lib. de auditione,* & Ciceronem *lib. 3. Off.* Atque ita hæc de JUSTITIA in genere & specie pro ratione propositi dixisse, satis sit. Nunc nihil remorarum objicitur, quò minus statim ad *Justitiæ Effectum* pensitandum descendam.

LXIV.

*Effectum Justitiæ* cum Aristotele rectissimè facio JUS.

LXV

JUS à jussu per apocopen dici, ideo, quia bona sequi, & mala vitari jubet, vel pueris in scholis est manifestum.

LXVI.

Definitur JUS, quod sit edictum rectæ rationis in usum societatis mutuæ. Seu ut *Aristoteles* Jus describit, quod in mutuæ societatis usu hominibus recta præscribit. Descriptionem hanc Arist. videtur desumpsisse ex *lib. 1. Cic. de Legibus,* ubi Legem dicit rectam rationem in jubendo, & vetando.

Jus



LXVII.

Jus dividi commodè poterit in *Divinum*, & *Humanum*.

LXVIII.

*Divinum* est, quod ab ipso DEO nobis est promulgatum, ut sunt Leges Morales, & Ceremoniales. *Humanum* ab hominibus conditur.

LXIX.

Philosophis *Jus* est vel *Civile*, vel *Oeconomicum*, teste *Arist. lib. 5. Eth. cap. 6.*

LXX.

*Civile Jus* est, quod in societate inter homines liberos & æquales, ad sufficientem rerum necessariorum copiam colitur. Ex definitione hac liquidò constat non eodem modo *Jus Civile* à Philosophis, & Juris considerari. Longè enim aliter Justinianus *S. Jus autem i. Vers. nam quod, Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* describit, ubi *Jus Civile*, inquit, est id, quod quisq; populus ipse sibi constituit.

LXXI.

*Subiectum Juris Civilis* ex sententia Aristotelis sunt *homines liberi, & æquales*, sive *Proportione*, sive *Numero*. Nam inter hos (verba sunt Aristotelis) solum consistit dominandi & parendi vicissitudo, seq; mutuò *Injuriã* afficere possunt.

LXXII.

*Finem* in definitione *Juris Civilis* data facit hunc Aristoteles, ut, scil. *in societate singulis res necessaria suppetant.* Unde *lib. 3. Offic.* inquit, *Cicero*, magis est secundum naturam pro omnibus gentibus conservandis, maximos labores, molestiasq; suscipere *Herculem illum*, (quem hominum fama beneficiorum memor in concilio cœlestium collocavit) quàm vivere in solitudine, non modò sine ullis molestiis, sed & in maximis voluptatibus, & abundantem omnibus copiis.

*Civile*

## LXXIII.

*Civile Jus est, vel Naturale, vel Legitimum.*

## LXXIV.

*Naturale Jus est, quod Natura omnibus hominibus indidit. In hac quoque definitione Aristoteles recedit à JC-tis. Imperator enim Justinianus in princ. Inst. tit. de jur. N. G. & C. Jus Naturale hoc modo definit. Jus Naturale est, quod Natura omnia animalia docuit. Nam Jus istud (inquit Imperator) non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, in terra, & in mari nascuntur. At Aristoteli constat suæ sententiæ ratio. Ideo enim hominibus solis hoc competere statuit, quia hi soli rationis sunt participes; Quæ cum destituantur bestia, Juris participes vix rectè dici poterunt. Hac de causa etiam sub Jure Civili, Naturale Jus complectitur: quia scilicet ipsa naturâ homo est animal sociabile.*

## LXXV.

*Naturale Jus est vel primarium & simplex, vel secundarium & compositum.*

## LXXVI.

*Primarium ac simplex est, quod ab ipsa natura constitutum est, & eodem coepit esse momento, quo homines. Tale Jus est; Vim vi repellere licet.*

## LXXVII.

*Secundarium sunt Conclusiones, è principiis nobis in-  
stitis, necessario deductæ, & apud omnes gentes receptæ.  
Non enim fuit Jus hoc ab initio, sed quasi è superiori ad  
nos derivatum, & cum id exigeret necessitas, communi  
gentium usu sancitum. Ut neminem esse ledendum, honestè  
vivendum, suum cuique tribuendum, nemini suum eripiendum,  
&c. Hinc & Cicero Juri Naturæ subjicit Religionem,  
Pietatem, Gratiâ, Vindicationem, Observantiam, O-  
bedientiam, &c.*

Jus

## LXXVIII.

*Jus Legitimum* est, quod hominum decreto in societate ad Civium salutem est sancitum. Hoc est Jus illud, quod à Jctis, & Cicerone *Jus Civile* solet appellari. Vocatur & *Jus Positivum*, quia ab hominibus constituitur; & *Legale*, quia LL. descriptum, & traditum est.

## LXXIX.

Differunt inter se *Jus Positivum*, & *Naturale* quinque potissimum modis: Et quidem (1.) *Efficiente, & Origine*. Jus enim *Naturale* à naturâ, i. e. à Deo naturæ authore nobis est insitum; Cùm *Positivum* Jus ab hominum voluntate, arbitrio, & autoritate dependeat. (2.) *Objectis*. Hoc siquidem in genere mandat fures esse plectendos; Illud autem in specie docet, fures vel restitutione dupli, vel quadrupli, vel fustigatione, vel suspendio, pro circumstantiarum diversitate mulctandos. Videatur *Wesemb. in parat ff. de furt. n. 14.* (3.) *Rationibus*. Jus siquidem Naturæ demonstrationibus subnititur. *Positivum* verò rationibus probabilibus insistit. Sic furci poena necessario fuit exaggeranda, quia crescentibus delictis exasperandæ sunt poenæ. (4.) *Amplitudine*. Etenim Jus Naturæ ubivis locorū est, ac manet idem: *Positivum* autem alibi est aliud, simile mensuris, quæ hic majores, alibi minores. (5.) *Duratiōe*. Nam Jus naturæ est & fixum, & permanens, & sempiternum prorsus; Cùm *Positivum* Jus pro ratione circumstantiarum jam intendi, jam remitti, jam exasperari, jam mitigari, aut etiam (si ex usu Reipublicæ sit) planè abrogari possit, quod tamen non temerè facere licet.

## LXXX.

Jureconsultis *Jus Positivum* est vel *scriptum*, vel *non scriptum*.

## LXXXI.

*Jus scriptum* complectitur (1.) *Legem*, quam populus Rom. Senatorio Magistratu interrogante constituebat. §. 4. in princ. *Inst. de jur N. G. & C.* (2.) *Plebiscitum*, quod plebs Plebejo Magistratu interrogante constituerat §. 4. v. 2. eod. (3.) *Senatus consultum*, quod Senatus jubet atq; constituit.

*Deus est in omnibus* §. 6.

§. 5. eod. (4.) *Principum placita*, quæ sunt constitutiones principum, eorumq; decreta & edicta, §. 6. eod. (5.) *Edicta Magistratum*, quæ Magistratus, ut Prætores, item Ædiles, Cursules introduxerunt, §. 6. eod. (6.) *Prudentum responsa*, quæ sunt Opiniones & sententiæ eorum, quibus permissum est de jure respondere, §. 8. eod.

LXXXII.

*Non scriptum* sive *sine scripto Jus* est, quod diuturnis moribus, & longo usu est introductum, atq; consensu utentium comprobatum. Diuturni enim mores consensu utentium comprobati Legem imitantur, §. 9. *Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.*

LXXXIII.

*Oeconomicum Jus* est, quod inter unius ejusdemq; membra domus, ad domesticorum sustentationem, aut generis propagationem colitur. Huic autem Juri, nomen Juris non nisi secundum quid attribuit Aristoteles, idq; duplici de causâ. (1.) quidem, quia inter domesticos Injuria non fit. Injuria enim tantum erga alienos exercetur, & nemo sibi, vel suis Injuriam inferre dicitur. Jam autem liberi sunt pars Parentum, servi inter possessiones Dominorum numerantur, & Maritus cum Uxore unam constituunt carnem. (2.) quia domestici non sunt inter se æquales quoad vicissitudinem imperandi, & parendi: sunt enim aisdem Legibus æqualiter obligati.

LXXXIV.

*Oeconomicum Jus* dividitur in *Paternum*, *Herile*, & *Matrimoniale*.

LXXXV.

*Paternum Jus* est, quod inter Parentes & liberos colitur. *Herile*, quod inter Dominum & Servum observatur. *Matrimoniale*, quod Conjuges matrimonio cõjuncti habent.

LXXXVI.

Juri opponitur & repugnat *INJURIA*. Notandum hic venit, quod vocabulum Injuriae sumatur vel *impropiè*, pro omni eo, quod nõ jure fit, vel *propriè*, pro Juris violatione, quando à sciente, & volente, invito alicui præter meritum damnum infertur.

LXXXVI.

LXXXVII.

Hinc *Injuria* definiri propriissimè poterit, quod sit Juris violatio, cum à sciente & volente invito alicui præter meritum damna inferuntur. Constat hæc definitio partibus suis essentialibus, *genere* scil. & *differencia*. Genus hoc loco est *Injuria effectus* qui nil est aliud, quàm injusta actio injustum factum & per consequens *violatio Juris*. *Differencia loco* stant *Injurie* requisita, quorum sunt tria. (1.) Ut qui infert *Injuriam*, sciens & volens inferat. (2.) Ut invito, seu contra voluntatem ejus, cui infertur, inferatur. (3.) Ut præter meritum fiat.

LXXXVIII.

Dividitur *Injuria* in *Voluntariam* & *Involuntariam*. Illa autem propriè, hæc impropriè talis est.

LXXXIX.

*Voluntaria injuria* definiri potest, quod sit illa, quæ infertur accidente voluntatis assensu. Hancq; rursus triplicem facit Aristoteles. Dicit enim *Injuriam* proficisci (1.) *ex ignorantia*, ut quando is, qui lædit, est ignarus circumstantiarum, in quibus potissimum actionis vis consistit, quales sunt circumstantiæ personæ, modi, loci, instrumenti, finis, &c. Et hæc infertur vel *inopinatò*, seu *præter opinionem agentis*, & *casu quodam*, ut si Venator in sylva, feram lædere cupidus, hominem lædat: vel *non præter opinionem omninò*, sed absq; malitia tamen & *dolo malo agentis*, ut si quis bombardam incautè tractando adstantem globo trajiciat. (2.) *Ex perturbatione aliquâ*, ut ex ira, metu, terrore, vel alio aliquo naturali affectu. De qua Cicero *in off. lib. 1.* ita inquit: In omni injuria permultum interest, utrum perturbatione aliquâ animi, quæ plerumq; brevis est, & ad tempus; an consultè aut cogitato fiat: *Injurie* enim leviores sunt eæ, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm eæ, quæ præmeditata & præparata inferuntur. (3.) *Ex malitia, & de industria*. Ut quando aliquis quæmpiam consultò ac præmeditatè lædit. Atq; hæc injuria propriissimè dicitur *Injuria*, & qui hoc modo aliquem

lædit, Injuriam facit & Injustus est. Observandum ergo, quod non omne injustum, statim sit injuriosum, nec omne damnum, quod alicui infertur, statim sit Injuria. Nam potest injustum fieri per accidens, scilicet ex ignorantia circumstantiarum, item casu & invito, seu ex affectu vehementiori. Hoc ipsum quamvis sit injustum; is tamen, qui tale quod committit, non facit Injuriam, nec is, qui patitur, dicitur pati Injuriam, scilicet proprie.

XC.

*Involuntaria Injuria* est, ubi quis planè citra voluntatis assensum à vi externa, vel errore impulsus, non lædendum lædit. Estq; duplicis generis: Alia enim *Venialis est & Piabilis*, quæ veniam meretur, eò quod errore quodam contra voluntatem nostram accidit: Alia *non venialis*, cui non ignoscitur, quia ex affectu aliquo nec naturali, nec libero homine digno admittitur: E.g. si quis ex ebrietate, vel ex odio, vel invidia, (quæ quævis dedecens) alteri injuriam inferat.

XCII.

Ex his itaq; facile erit colligere Injuriam proprie sic dictæ, *Causam Efficientem* esse animum & affectum injuriandi. Quippe qui ex calore iracundiæ in alium verba contumeliosa effuderit, aut alio modo alterum læserit, injuriarum actione non tenetur. In Injuriis enim certum animi propositum injuriandi requiritur. *Subjectum* autem est persona tam Injuriantis, quam injuriati (ut ita loqui mihi liceat.) *Objectum* est damnus sive Injuria. *Forma* est maleficium ipsum: quo alteri damnus inferitur. *Finis*, ut Injuria illi vel illi fiat.

XCIII.

*Cognata Injuriam* sunt Damnum, Detrimentum, Dispendium, Incommodum, Calamitas, Noxa, & quævis actio injuriosa, per quam alteri mala accidunt.

XCIII.

Cum Injuriis pugnant & Leges Naturales & Divinæ. Monemur namq; neq; re, neq; facto, neq; verbis quæmpi-

am

am lædendum vel traducendum esse: Ut in §. 8. Decalogi præcepto, & l. 1. ff. de J. & J. & S. fin. Inst. eod.

XCIV.

Juris Legitimi adjunctum est *ÆQUITAS*. Et concinne quidem Juri adjungitur *Æquitas*; Quia Jus sine *Æquitate*, injuria quàm sæpissimè est summa. Quippe Jus omnia recta & inflexibilia exigit; *Æquitas* autem multa pro circumstantiarum diversitate corrigit, remittit, & supplet. Hinc & *Correctio*, *Laxamentum*, *Supplementum*, *Moderatio*, & *Interpretatio benignior* jctis vocatur.

XCV.

*ÆQUITATEM* cum Arist. lib. 5. Eth. cap. 10. definitio, quod sit correctio Juris in ea parte, quã deficere propter generalitatem videtur. In definitione hac *Æquitati* officium hoc assignat Arist. ut, quod Jus Legitimum seu Legale generaliter præscribit, id in specialibus negotiis commodè & benignè interpretetur. Propter munus hoc Diogenes Pythagoreus *Æquitatem* & *Clementiam* *JUSTITIÆ* *Assessores* vocavit. Lex autem deficere dicitur, non quòd in ea rectè instituta ullus sit defectus, sed quia Lex generalis est, & generaliter tantum sancit, nec in specie pro negotiorum, circumstantiarum varietate, quicquam constituit. Accedat igitur necessum est *Æquitas*, quæ generalitatem Legum limitet & restringat.

XCVI.

*Æquitas* hæc non est temeraria quædam, vel fortuita LL. laxatio, sed fontes habet (1.) *Jura superiora*, quæ cum inferioribus collata sæpè mitigationem exigunt. (2.) *Circumstantias personarum, locorum, temporum*, & si quæ sunt alia, quæ non semper LL. definiti possunt, & jam intendi, jam remitti pœnas postulant. Plurimum enim interest, an fortuitò quis peccet, an per ignorantiam; an necessitate quadam, & coactione, an datà operâ & consultò? Item quo loco, & tempore, quã ætate, qui offendantur, quæ omnia delictum augent & minuunt, pœnasq; mitigant & exasperant. (3.) *Probat*ur quoq; hac moderatio ab ipso DEO.

D 3

Vi

Videmus namq; Ceremonias Præceptis Moralibus cedere,  
ut exempla sunt obvia in histor. Maccab. die Sabbathi  
pugnantium. 1. Maccab. 2. Davidis, qui panibus sacris ve-  
scitur, 1. Sam. 21. Discipulorum Christi, qui spicas Sabba-  
tho vellunt. Matth. 2. & Christi ipsius, qui hydropicum in  
Sabbatho quoq; valetudini pristinae restituit. Luc. 14.

XCVII.

Valet hæc Æquitas tantum in correctione Juris Po-  
sitivi, (quod probè est tenendum) cum in LL. Naturæ lo-  
cum non inueniat. Certo enim certius est LL. Natura-  
les nullam admittere correcturam. Unde Jcti contra Jus  
Naturæ, inqviunt, nullæ sunt concedendæ relaxationes. Si-  
quidem hoc est Jus per se perfectum & immutabile, cum  
Deum Authorem agnoscat. Qua de causa ab Arist. simp-  
pliciter Jus appellatur,

XCVIII.

Opponitur Æquitati (1.) *SVMMVM JVS*, quod &  
*Jus Strictum* appellatur: De quo id communiter dicitur,  
Summum Jus summa sæpè Injuria. (2.) *Callida &*  
*malitiosa Juris interpretatio*,

XCIX.

*Jus summum* est stricta Juris Legitimi sine ulla com-  
moda interpretatione explicatio. Committitur secun-  
dum Aristotelem, quando LL. non malitiosè quidem, &  
fraudulenter torquentur, sed tamen strictè & præcisè reti-  
nentur, nec ab iis transversum unguem, (quod dicitur,)  
disceditur, cum propter rationes probabiles mitigatio res-  
ctissimè adhiberi possit.

C.

Alterum Æqualitatis extremum est, *callida & malitio-  
sa LL. interpretatio, fraudandi gratiâ instituta*. Hæc Jctis  
vocatur *Calumniâ*, quando LL. verba in partem deterio-  
rem trahuntur, & aliter accipiuntur, quam fuerant à  
LLatoribus intellecta. Ciceroni dicitur, *lib. 1. Off. Solertia*,  
ubi de hac iniquitate ita loquitur. Existunt etiam sæpè In-  
juriæ calumniâ quadam, & nimis callidâ & malitiosâ  
LL. interpretatione,



CORONIDES.

- I. Utrum Jus sit prius Justitiâ? Neg.
- II. Num Justum esse sit facile? Neg.
- III. In distributione iniqua an sit injustior is, qui distribuit, an verò is, qui plus accipit? Aff. prius.
- IV. Num is, qui sibi ipsi in distributione bonorum minus tribuit, faciat sibi injuriam? Neg.
- V. An volenti fiat Injuria? D.
- VI. Utrum aliquis in seipsum possit esse injurius? N.
- VII. An pejus sit injuriam inferre, quàm ferre. Aff. prius.
- VIII. Num justus æquè possit alteri injuriam inferre, sicut injustus? Neg.
- IX. An liceat cuivis aliquid de Jure suo remittere? Aff.
- X. Utrum quis suum jus volens patiatur, an minus? D.

*Tantum hac vice,*

SOLI JUSTITIÆ NOSTRÆ  
SIT LAUS, HONOR,  
& GLORIA.

---

**Q**uem sors prelargâ tinxit Permessidos undâ,  
Justitiæ fundat carmina justa sobos,  
Quæ cælo ex alto liquidas delapsa per auras  
Dicitur, ac stella more micare solet:  
Factis qui justis loquitur, justissimus ille  
Justitiæ vera cultor, amator adest.  
Dictis facta addens prestat LEHMANNUS utrumq̃,  
Eximio natus qui Genitore viget.  
Ad finis charos inter charissime ocellos  
Pergito; Justitiæ sed memor ipse prius,

ju.

Judicio cæli quæ iustos sistere soeuit;  
Quæ sine nec iusta est iustitia ulla soli.  
Sic iusto poteris nunquam non tramite felix  
Tendere præcelsi vel super astra poli.

Brevibus istis in arenam felici sydere  
descendenti Domino Adfui suo  
applaudebat

**Gottlieb Pelargus**

SS. Th. D. & Professor  
Publicus.

---

Jure quod ipsa cupit conjunctio sanguinis arcta,  
Germana è chara mi peramate Nepos,  
Gratulor ex animo specimen laudabile, iustum,  
Qvi nunc JUSTITIAM mente sagace colis,  
JUSTITIAM sectare piè, sectare frequenter;  
Juris opus fidâ volve, revolve manu.  
Faxit JOVA potens, Ipsi sis laudibus amplis  
Sis decori Patriæ, sis Tibi, sisq; Tuis.

*Hac paucis suo, ex Sorore, percharo  
Nepoti gratificabatur*

**PHILIPPUS JACOBUS Wolff**

J. U. D. Prof. Acad. Franc. Publ.  
U p. t. Fac. Jur. Decanus.



00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244




R

Worm







10.  
 O MEO!  
 PRACTICA  
 E  
 ITIA,  
 m.  
 NOSTRA, Præstite,  
 Philosophicâ Facultate,  
 orali Viadrinâ,  
 RESIDIO  
 ni, atq; Præstantissimi  
 ANI SCULTETI  
 March,  
 5. Julii,  
 Philos. majori  
 emeridianis,  
 torum censura  
 itis  
 SLAUS PESHMANN/  
 us, LL. Studiosus,  
 & R.  
 e Salutis humana  
 OC. LI.  
 OCHII, Acad. Typogr.